

Senecae II 1, 3 ex eo quaerit: *quomodo de terrarum motu quacstionem eo posuisti loco, quo de tonitribus fulguribusque dicturus es?* qui, si librum VI cognitum habuisset eumque in locum libri II tunc conscribendi successisse censisset, sine dubio *quo dicturus eras* quaerere debebat. neque igitur ulla manet difficultas, sed pristinus librorum ordo satis constat, qui immutatus vel perturbatus in archetypum codicum manu scriptorum venit. atque praefationes quae traduntur semper cum ipsis libris coniunctas fuisse neque ab iis revelli posse pro certo habeo (Stud. I 110. 113 sq. 115. 120).

Habemus igitur opus octo libros amplexum, quorum sex integri duo trunci ad nos pervenerunt; novimus ordinem et partium et singulorum librorum. restant subscriptiones.

II. De subscriptionibus librorum et editione

Totius operi titulus videtur fuisse *Naturalium Quaestionum libri octo*, talis enim e codicibus eruitur; neque enim interest, quod in multis *de Nat. Quaestionibus* legitur. neque est, cur haec collocatio verborum nobis displiceat, quam antiquitus sollemnem fuisse E. Norden mihi probavit: inverso enim ordine substantivum et adiectivum singulari tantum numero adhibito collocabantur velut *Historia Naturalis*, *Institutio Oratoria*. sane tituli generalis testimonium nullum exstat, neque ipse auctor in praefatione libri III illum prodit, quoniam de *causis* tantum mundi loquitur (§ 1). paulo propius ad solitam inscriptionem accedere videntur quae II 1, 1 leguntur *omnis de universo quaestio . . dividitur*, et II 1, 3 *quomodo de terrarum motu quaestione eo posuisti loco*. proxime accedit ep. 88, 24 *cum ventum est ad naturales quaestiones, geometriae testimonio statur*, neque vero de suo opere hoc loco disserit neque in ep. 89, 17. tamen *Naturalium Quaestionum* ($\varphi\psi\tau\alpha\kappa\omega\nu \xi\eta\tau\eta\mu\alpha\tau\omega\nu$) libros Senecam conscripsisse et sic inscripsisse, generali autem titulo speciales singulorum libellorum addidisse veri est simillimum.